

etiam supplices deprecamur per dominum Deum nostrum Jesum Christum, salvatorem omnium, per fidem catholicam et regnum, quod meruistis a Deo concessum, atque salutem dominorum filiorum vestrorum, quibus perpetuum imperium Deo gubernante permanet, ut aditum inveniat supplicatio nostra apud pias aures vestras, et cum fiducia recurrentes ad principalia remedia, mereamur, quae petimus impetrare. Nam, etsi nos peccata nostra ad tempus gravissimo iugo gentium summiserunt, auxiliante nobis Domino, nullo pondere pressurarum ab integritate catholicae fidei invenimur ullo modo titubare. Deinde nec oblii sumus sanctam rem publicam vestram, sub qua olim quieti viximus et, andiuante Domino, redire totis viribus festinamus. Suggerimus etenim, domine piissime princeps, scandalum ecclesiae, quod tempore divae memoriae Justiniani, principis totius mundi, ecclesias conturbavit, nostrarum quoque provinciarum partibus ex tunc iam esse compertum, damnationem scilicet trium capitulorum, id est epistolae venerabilis Ibae, episcopi Edesseneae civitatis, personae quoque Theodori Mopsuestiae episcopi, atque scriptorum Theodoriti, episcopi Cyri, quae in sancta synodo Chalcedonensi recepta sunt, et Vigilio, tunc Romano praesuli, atque omnibus pene sacerdotibus damnatio ipsa, sicut revera contraria sancto Chalcedonensi concilio, execrabilis noscitur extitisse. Qui etiam Vigilius scripta sua per omnes provincias mittens, anathematis vinculis omnem populum obligavit, si quis damnationi trium capitulorum praeberet aliquando consensum. Et licet postea imperiali pondere ad consensum damnationis capitulorum ipsorum paulatim singuli tunc fuerint coarctati, nostrarum tamen provinciarum venerandi decessores, quibus indigni successimus, praedicti quondam Vigilius instructionibus informati, ad hoc inclinare nullo modo potuerunt. Quorum nos exempla, Deo propitiante, servantes cum universo populo nobis credito, sequentes etiam in omnibus definitionem sancti Chalcedonensis concilii, defensioni capitulorum ipsorum et reverentiam exhibemus, et a communione damnantium cum divina gratia abstinere dinoscimur. Et dum Smaragdus, gloriosus